

Et abbas venit et dicit quod numquam per eum implacata fuit in curia Christianitatis. Set quia ipsa Editha longo tempore transacto affidata fuit cuidam homini ut ipsum caperet in virum [et] ipsum noluit recipere, ideo per decanum loci excommunicata fuit. Et hoc ipsa cognovit etc. Et ideo abbas sine die: et [Editha] in misericordia. Pauper est.¹

1361

Surr.. Willelmus de Briseblock et Jacobus Clericus summoniti fuerunt ad ostendendum quo waranto se intruserunt in manerium de Wauton' quod fuit Johannis de Wauton', cuius custodia ad dominum regem² ratione terre et [heredis] G. quondam comitis Glouc' in manum (*sic*) domini regis existentis, de quo idem Johannes manerium predictum . . . Et Willelmus et Jacobus veniunt et dicunt quod Ricardus de Lalad' et Thomas³ de Evereus tenent . . . illius terre simul cum eis; et pro se ipsis dicunt quod Johannes de Wauton' tenuit terram illam de Giliberto comite . . . Clare et obiit inde seisisus, et comes habuit custodiam hereditum cum terra illa. Postea vero, quando comes co[n]didit testamentum suum, legavit terram illam comitisse matri sue Amicie. Post obitum vero comitis dominus rex seisisivit in manum suam totam terram comitis et similiter terram illam, scilicet custodiam. Postea venerunt ad dominum regem archiepiscopos Ricardus et episcopus Roffensis qui nunc est, executores testamenti ejusdem comitis, et ostenderunt domino regi testamentum illud et, cum illud audisset, reddidit eandem terram eidem comitisse sicut testamentum suum; et custodiam illam tenuit longo tempore. Et postea vendidit custodiam illam predictis Ricardo Thome et ipsis duobus pro cc. marcis argenti. Et inde proferunt cartam comitisse que hoc idem testatur, unde dicunt quod per emptionem illam sunt in seisinis et petunt judicium. Et quesiti si comitissa obiit seisia de custodia illa, dicunt [quod] non, set longo tempore ante mortem suam vendidit⁴ eis custodiam illam. Et inde ponunt se super patriam un[acum] testibus nominatis in carta. Et ideo fiat jurata: et veniat a die Pasche in xv. dies apud Westmonasterium coram domino rege si . . .⁵ sin autem, coram baronibus de scaccario, ad recognoscendum utrum predicta comitissa in vita sua vendidit custodiam [illam] predictis et aliis et in seisinis eos posuit vel predicta comitissa obiit inde seisia. Testes autem sunt isti, Reg[inaldus] Duket Willelmus de Haul' Michael de Fossa Johannes de Imewurth' Simone (*sic*) de Cumba Edmundus le . . . Roberto filio suo (*sic*) Willelmus Racolf Nigellus Cocus Willelmus Trewe et Thomas de Hardres. Idem dies datus est predictis.

Juratores dicunt super sacramentum suum quod predicta comitissa ante mortem suam dedit et vendidit eis custodiam [illam], ita quod ipsi ceperunt fidelitates hominum et seisinam habuerunt per xv. dies ante mortem comitisse . . . Et dicunt quod non obiit inde seisia et quod ipsi Willelmus Jacobus et quidam alii dederunt pro custodia ducentas [marcas.] Et ideo Willelmus et Jacobus inde sine die: et teneant in pace, salvo jure domini regis in aliis etc.

1362

Suhamt'.⁶ Burgenses de Dunvic' querunt quod Benedictus major Suhamp' et Walterus et alii ballivi [ejusdem ville] ceperunt consuetudines de allec et de aliis, que facere non debent, ut dicunt, eo quod quieti [debent esse] de omnibus consuetudinibus per cartam Johannis regis, quam proferunt, que hoc idem testatur, et s[imiliter] per

¹ The word *Misericordia* is in the margin. The words *Pauper est* were added later.

² Sc. *pertinet*.

³ Corrected from *Willelmus*.

⁴ Corrected from *dedit*.

⁵ For lack of space the rest of this entry appears in the roll after No. 1362.

⁶ Bracton III. 141 (No. 1123), whence the readings in square brackets are supplied.